

EPISTULA LEONINA

CX

HEBDOMADALE
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CIX** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM DECIMAM (110) !

ARGUMENTA

FABELLA GRIMMIANA: De cane et passere.....	04-08
MYTHUS GRAECORUM: De Herculis laboribus IV, V, VI.....	09-14

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

maximē gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam decimam.

Duas narratiunculas invenies hac in Epistulā: altera est Grimmiana, altera Schwabiana; prior spectat ad canem et passerem, posterior ad Herculem labores quartum quintum sextum mandatu Eurysthei exanclantem.

Nonnullis iam ex annis fabellas Grimmianas mythosque Graecorum a Gustavo Schwab narratas in Latinum converto; in votis mihi est perficere et Grimmiani et Schwabiani copiosi operis narrativi Latinam versionem completam. Audax hoc votum utinam ne expleatur ad Kalendas Graecas. Cara Lectrix, Care Lector, omni qua par est observantiā te rogo, ut faveas incepto meo.

Pancraticē vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
die Saturni, 25. m. Iunii, a.2016**




LIBERTATEM QUAM PEPERERE MAIORES DIGNE STUDEAT SERVARE POSTERITAS

Haec sententia Latina litteris inscalptis et inauratis scripta invenitur supra portam curiae Hammaburgensis (Hammaburgum = *Hamburg*, urbs Germaniae septentrionalis portu instructa). Eadem sententia lapidi inscalpta iam spatio, quae interest annis 1663 et 1806, legi potuit supra transitum portae, quae appellabatur *Millerntor*, et ab a.1673 usque ad a.1828 scripta erat ad latus portae aggeris (*Deichtor*) interius versus urbem situm, cuius ad latus exterius scripta erant verba *Salus civitatis pietas et concordia*.

FABELLAE GRIMMIANAE


58. DE CANE ET PASSERE



Canis quidam pastoralis dominum habuit, a quo tam male cibaretur, ut esuriret. Cum non diutius ferret, abiit perquam maestus. In viâ incidit in passerem, qui: »Frater Canis« inquit, »quid es tam maestus?« Canis autem respondit: »Esurio, sed nil habeo, quod comedam.« Tum passer: »Care frater«, inquit »veni mecum in urbem, ut te saturem.« Itaque unâ ierunt in urbem, et lanienam cum advenissent, passer dixit cani: »Siste, carnem rostro incîdam, ut frustum tibi decidat,« lanienae insedit, circumspexit cavens, ne ab ullo homine animadverteretur, et frustum carnis in margine situm tam diu caedebit et trahebat et arripiebat, dum delaberetur. Tum canis frustum comprehendit, in angulum cucurrit, devoravit. Deinde passer: »Nunc« inquit »veni mecum ad alteram tabernam, ubi alterum frustum tibi deripiam, ut satureris.« Cum canis alterum quoque frustum devorasset, passer interrogavit: »Frater canis, nuncine satur es?« »Carnis quidem« canis respondit, »satis comêdi, sed nondum accepi panem«. Passer autem

dixit: »Hunc quoque accipies, veni mecum«. Deinde passer canem ad tabernam pistoris duxit ibique nonnullos paniculos tam diu rostro caedebat, dum devolverentur, et cum canis plures cuperet, eundem duxit ad alterum pistorem iterumque curavit, ut paniculi devolverentur. His comesis passer: »Frater Canis«, inquit »esne nunc satur?« »Satur sum«, ille respondit, »nunc aliquantulum ex urbe eamus«.

Tum ambo foras ierunt in viam ruralem. At tempestas cum esset calida, ambulatiunculâ factâ canis: »Fatigatus cum sim« inquit »cupio dormire«. »Si vis, dormi«, passer respondit, »equidem interim ramo insidebo«. Ergo canis in viâ decubuit et artê obdormivit. Cum îdem iacebat dormiens, quidam vecturarius advehebatur curru, cui adiuncti erant tres equi et inerant tria dolia vini. Passer autem, qui videret vecturarium nolle currum deflectere, sed pergere vehi per orbitam, in quâ iacebat canis, clamavit: »Vecturari, cave ne hoc facias, aut ego te faciam miserum«. At vecturarius mussitavit: »Tu quidem me non facies miserum« flagelloque crepitans currum egit trans canem, ut is rotis obtereretur.



Tum passer vocavit: »Cum Fratrem Canem mihi vehendo necaveris, hoc tibi stabit carro et caballo«. Vecturarius: »Vah«, inquit »quid mihi stabit carro et caballo, tu quantulum mihi nocebis!« et iter perrexit. Tum passer sub pannum currûs surrepsit rostroque ôs dolii alicuius tam diu tundebat, usque dum obturamentum exsolveretur; deinde vecturario non animadvertente totum vinum decurrit. Cum respexerit, vidit guttas vini e curru destillare, dolii perquisitis invênit unum ex iis esse vacuum. »Eheu me miserum!« clamavit. »Nondum satis miser es«, passer dixit et in caput unius e tribus equis volavit eiusque oculos rostro effodit. Hôc viso vecturarius passerem voluit ferire dolabrâ

exemptâ, sed passer in altum volante caballus dolabrâ tam vehementer percussus est, ut delaberetur mortuus. »Eheu me miserum!« vecturarius exclamavit. »Nondum satis miser es« passer dixit et cum vecturarius duobus equis vehi pergeret, passer iterum sub pannum repsit et alterius quoque dolii obturamentum rostro resolveret, ut totum vinum effunderetur. Vecturarius cum hoc animadvertisset denuo clamavit: »Eheu me miserum!«, sed passer respondit: »Nondum satis miser es«, capiti insedit alterius equi eiusque quoque oculos rostro effodit. Vecturarius autem accurrit dolabramque exemit, sed passer in altum volavit; tum equus ictu dolabrae percussus delapsus est. »Eheu me miserum!« »Nondum satis miser es« passer dixit, capiti insedit tertii quoque equi oculos rostro effossurus. Vecturarius autem irâ caecâ in passerem invectus ab eodem aberrans tertium quoque equum occidit. »Eheu me miserum!« clamavit. »Nondum satis miser es« passer respondit, »nunc te domi faciam miserum,« et avolavit.

Vecturarius non potuit, quin curru relicto irâ incensus pedibus domum iret. »Eheu« uxori dixit, »quantum mali mihi accidit; vinum e dolis effusum est necnon tres equi omnes sunt mortui.« Uxor autem: »Vae nobis, marite« inquit, »quam mala avis vénit in domum nostram! Quae cum omnibus avibus mundi congregatis supra in triticum nostrum vecta devorat«. Tum vir ascendit et vidit aliquot milia avium in tabulato sedentes, quae triticum devoraverant, et inter eas sedebat passer. Tum vecturarius clamavit: »Eheu me miserum!« »Nondum satis miser es«, passer respondit. »vecturari, res illa tibi constabit vitâ« et foras evolavit.

Nunc vecturarius amiserat totam suam possessionem, descendit in conclave, post fornacem consedit pus ac venenum eructans. Passer autem foris ante fenestram sedens vocavit: »Vecturari, illa res tibi constabit vitâ«. Tum vecturarius dolabram correptam in avem coniecit, sed iaciendo ab ave aberrans discidit fenestrae quadras vitreas. Passer nunc in conclave insiluit et fornaci insedit et vocavit: »Vecturari, illa res tibi constabit vitâ.« Iste autem caecâ irâ efferatus et vehementissimê furens fornacem discindit necnon quodcumque aliud instrumentum domesticum, quod pulsat, passerem ab uno loco ad

alium volantem secutus, postremo parietes domesticos destruxit avem non feriens.



Tandem aliquando manu avem corripuit. Tum uxor: »Vin'« inquit »me istam occidere?« At vir exclamavit: »Noli eam sic occidere. Hoc quidem esset nimis lene. Oportet ista avis moriatur multo crudelius, ego eam volo degluttire«, passeremque correptum totum devoravit. At passer coepit in ventre viri circumvolitare, revolutavit in os viri; deinde capite ex ore protenso vocavit: »Vecturari, tamen illa res tibi constabit vitâ«. Vecturarius autem uxor dedit dolabram et: »Uxor«, inquit »istam avem occide mihi in ore versantem«. Uxor autem dolabram impulit, sed ab ave aberrans illam tam vehementer in caput vecturarii impegit, ut is mortuus prosterneretur. At passer foras evolavit.

* *
*

FABELLAM GRIMMIANAM

C.T.

DE CANE ET PASSERE

(*Der Hund und der Sperling*)

IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS.


MYTHI GRAECORUM
DE LABORIBUS QUARTO QUINTO SEXTO
AB HERCULE EXANCLATIS



Hercules et aper Erymanthius
Statua in platea Lützowiana Berolinensi
statuta, quam a.1904 confecit
Louis Tuaillon.

Statim Hercules suscepit quartum laborem exanclandum. Quarto enim ei mandatum erat, ut **aprum Erymanthium**, qui Diana quoque consecratus loca circa montem Erymanthum vastabat, vivum apportaret Mycenas. Herculus ad hoc periculum subeundum iter faciens apud Pholum filium Sileni devertit. Qui centaurus cum esset, unâ ex parte homo, alterâ equus erat; convivam recepit more valdê hospitali carnemque ei apposuit assatam, cum ipse eam comedereret crudam. Sed Hercules cenam delicatam comedens cupivit sumere bonam quoque potionem. Pholus: »Care conviva« inquit, »est quidem dolium in hypogeo meo, sed cum hoc possideant omnes unâ centauri, dubito idem aperire, quia scio, quantulum centauri current convivas«. Tum Hercules: »Bono animo« inquit »dolium aperias; tibi polliceor fore, ut te defendam contra omnes impetûs; nam sitio!« Hoc autem dolium Bacchus, deus vini, ipse centauro cuidam tradiderat mandans, ne idem aperiret antequam quattuor hominum aetatibus transactis Hercules hanc regionem obiret. Itaque Pholus iit in hypogeum; vix autem dolium aperuerat, cum centauri fragantiâ fortis vini veteris olfactâ catervatim affluentes saxis truncisque pinuum armati cavernam Pholi circumvenerunt. Priores invadere ausi ab Hercule repulsi sunt facibus injectis; ceteros sagittis iaculandis persecutus est usque ad Maleam, ubi habitabat Chiron centaurus bonus, amicus Herculis vetus. Ad eum aufugerunt confratres gentis suae. At Hercules in eos, cum modo secum conflixissent, arcu collineaverat et sagittam iaculatus erat, quae per bracchium alterius centauri transfossa infelicitter invasit genu Chironis ibique remansit infixâ. Nunc demum Hercules ad amicum priorum dierum recognitum sollicitus accurrit, sagittâ extractâ vulneri imposuit medicamentum, quod sibi dederat ipse Chiron medicinae peritus. At vulnus veneno Hydræ imbutum sanari non potuit; centaurus exoptavit, ut in cavernam suam apportaretur ibique moreretur bracchiis amici inclusus. En rem frustra exoptatam! Miserrimus enim non recordatus erat se a doloribus non liberatum iri, cum esset immortalis. Multis lacrimis obortis Hercules centauro doloroso valedixit promittens se, quanticumque constaret, missurum esse Thanatum redemptorem. Nos cum mythum Promethei noverimus, scimus Herculem promisso stetisse. Hercules ceteros centauros persecutus in cavernam amici reversus Pholum hospitem sui comem atque affabilem, mortuum quoque invénit. Qui enim ex alicuius centauri cadavere extraxerat sagittam mortiferam; e manu mirantis,

quomodo fieri potuisset, ut tantulæ rei effectu prosterneretur animal tantum, elapsum est telum veneno infectum, quod pedi iniectum est, ut Pholus sine morâ necaretur. Hercules valdê contristatus centaurum sepelivit honestê eo, quod monti supposuit, qui ex illo tempore vocabatur *Pholoë*. Deinde iter perrexit aprum venaturus; quem clamore sublato e dumeto silvae exactum per campum nivosum profundum persecutus est, ubi bestiam fatigatam captavit vivamque, ut erat iussus, Mycenas apportavit.



Ecce gryllus Ephemeride Badensi („Badische Zeitung“, d.20., m.Oct. a.2011) editus: „Munus Herculeum: Stabulum Augiae a stercore purgandum“.

Deinde rex Eurystheus eum emisit ad quintum laborem exanclandum, qui heroe parum dignus fuit. Nam Hercules iussus est uno tantum die **stabulum Augiae** boarium a stercore purgare. Augias, rex Elidis, permulta habuit agmina pecorum. Eius pecora more antiquorum ante palatum stabant magnis saepimentis inclusa. Tria milia boum per longius tempus ibi steterant, ut ex multis annis accumularetur infinita copia stercoris, quod nunc Hercules iussus erat inhonestê et – quod non fieri posse visum est – uno tantum die e stabulo efferre.

Heros cum ad regem Augiam accessisset seque mandato Eurysthei non memorato obtulisset laborem illum exanclaturum, magnificâ

staturâ Herculis pelle leoninâ induiti aspectâ rex Augias vix potuit non ridere cogitans bellatorem tam ingenuum cupere opus tam servile suscipiendum. Sed idem rex secum cogitavit: »Commodum sui ipsius cupiens nonnullus iam vir probus corruptus est; nescio an ille velit me usus dives fieri. Hoc eum vix iuvabit. Licet promittam eum, si mihi totum stabulum a stercore purgaverit, accepturum esse magnam mercedem, nam uno tantum die certê parum stercoris efferet. Itaque Herculi dixit bono animo: »Audi, advena, si uno die totum stercus abstuleris, mercedem tibi dabo decimam partem omnium pecorum quae habeo«. Hercules condicionem comprobavit; rex putavit illum nunc stercus vatillo sublaturum esse. Hercules autem, cum Phyleum filium Augiae testem contractûs adhibuisset, humum stabuli pecuarii alterâ ex parte proscidit, flumina Alpheum et Peneum haud procul fluentia canali ita adduxit, ut stercus abluerent et per alteram aperturam effluerent. Sic Hercules mandatum perfecit indecorum, sed non prolapsus est ad rem faciendam, quae indigna esset viro immortali. At Augias, cum accepisset Herculem suscepisse rem ab Eurystheo sibi mandatam, recusavit, ne mercedem daret, immo negavit se eandem promisisse; sed se paratum esse dixit hanc rem iudicibus tradere diiudicandam. Iudices cum congregati essent ad iudicium ferendum, Phyleus ab Hercule rogatus contra patrem proprium testatus est illum cum Hercule pactum esse mercedem. Augias autem sententiam iudicium non exspectavit, sed irâ incensus et filio et advenae imperavit, ut regnum suum sine morâ relinqueret.

Deinde Hercules novis periculis subitis ad Eurystheum revertit. Is autem dixit non ritê exanclatum esse laborem quintum, quia Hercules pro eo mercedem postulavisset. Tamen statim heroem misit ad sextum periculum subeundum eo quod ei mandavit, ut fugaret **Stymphalides**. Quae fuerunt ingentes aves rapaces, gruum magnitudine, ferreis âlis, rostris, unguibus. Stymphalides circa lacum Stymphalum habitabant in Arcadiâ situm et poterant pennas suas ita iaculari ut sagittas necnon rostris suis ipsas lorias aeneas perfringere; quo istae aves monstruosae – quas iam cognovimus mythum Argonautarum legentes - in circumiectis magnam stragem dabant et hominum et bestiarum.



ECCE HERCULES STYMPHALIDAS FUGANS.

Romanum opus tessellatum, quod inventum est in *Lliria*, prope Valentiam, in Hispaniâ. Quod confectum est primâ parte dimidiâ saeculi tertii a.Chr.n. Hodie inest Nationali Museo Archaeologico Matritensi.

Hercules autem migrandi peritus brevi itinere facto pervenit ad lacum, qui situs erat densâ silvâ obumbratus.

Hac in silvâ modo aufugerat immensa multitudo illarum avium, cum timerent, ne a lupis raperentur. Ingenti multitudine conspectâ Hercules stabat consilii expers nesciens, tot hostes quomodo superaret. Subito sensit alterum umerum suum leviter tangi; conversus conspexit staturam Minervae giganteam, quae ei dedit duo aenea crepitacula ingentia a Vulcano sibi fabricata; dea Herculi significavit illa instrumenta apta esse ad Stymphalidas fugandas et evanuit. Hercules autem nunc collem ascendit prope lacum situm et crepitacula collidebat. Aves autem strepitum perterrcrepum non passae territae e silvâ volaverunt. Tum Hercules arcu correpto, unâ sagittâ post aliam appositâ multas Stymphalidas deiecit volantes. Ceterae regionem reliquerunt numquam redditurae.

* * *

**LABORES QUARTUM QUINTUM SEXTUM
AB HERCULE EXANCLATOS**

**A GUSTAVO SCHWAB THEODISCE
ENARRATOS**



IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS.

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipue disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,90 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,90 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR.	Num. manda- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenma tt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptman n	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3-938905-28-	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

		9							
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM DECIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Saturni, 25. m.Iunii a.2016

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>